



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 126 ad 150

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1765

VD18 15558428-001

Psalmus CXXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53443](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53443)

Quod *ψ.* i. dixerat, Deum fecisse, nunc ipse rogat, ut faciat, h. e., ut pergat scrutari, & eximinare cor, & semitas ejus, h. e. cogitationes, desideria, progressus, & actiones, ejus. Finem verò scrutationis esse cupit, ut, si Deus videat in ipso viam iniquitatis, quæ ducit ad acquirenda temporalia; abstrahat eum indè, & deducat in viam æternam, h. e. ad ea cogitanda, desideranda, facienda, quæ pertinent ad bona æterna.

PSALMUS CXXXIX.

Titulus: *In finem Psalmus David.*

Recentiores secuti Theodoretum, Psalmi hujus argumentum esse docent precationem Davidis adversus Saulem Regem, & ministros ejus. Sed veteres P. P. Hieron. Chrysof. Aug. argumentum esse volunt, precationem corporis Christi adversus Diabolum, & satellites, iniquos homines, ut probat S. Hilarius.

ψ. i. Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me.

Christus loquitur, juxta Hilarium, in personâ suâ, & membrorum suorum:

Eripe

Eripe me ab homine malo, sive Diabolus, qui est inimicus homo (ut hic loquitur S. Aug.) per se, sive per homines sibi subjectos, me infestet. Tum idem repetit.

v. 2. Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die constituebant praelia.

Dat rationem, cur dixerit, *Eripe me*, quia scilicet patitur infestationem cogitationum, verborum, & factorum, ut desideria impudica, tentationes infidelitatis, scrupuli, perplexitas mentis &c.; quæ omnia dici possunt praelia assidua, ut nullæ dentur induciæ, nulla intermissio.

v. 3. Acuervunt linguas suas sicut serpentis: venenum aspidum sub labiis eorum.

Alterum malum, quod patimur ab inimicis, est malum verborum: & quidem finis malorum hominum calumniantium, detrahentium &c. est lucrum, vel vindicta temporalis; sed finis Diaboli est pertrahere hominem ad peccata. *Acuervunt viri illi mali linguas suas sicut serpentis, ut facilius penetrarent in aures, & corda: Venenum aspidum nocentissimum*
F sub

sub labiis eorum reconditum est, quod per linguam jaculantur in auditores.

Ps. 4. Custodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me.

Hoc est tertium malum, quod ad rem ipsam pertinet. Ac primò petit cœtus justorum protectionem, ne *manus peccatoris*, Diaboli, appropinquet, & noceat; deinde ut etiam eripiat *ab hominibus iniquis*, qui membra sunt Diaboli, ne & ipsi nocendi potestatem accipiant.

Ps. 5. Qui cogitaverunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum.

Ps. 6. Et funes extenderunt in laqueum: juxta iter scandalum posuerunt mihi.

Describit malum, quod ab iniquis timebat. Dæmon, & Angeli ejus in hoc unum semper intenti sunt, ut supplantent gressus nostros, ut non ambulemus in viâ Dei, ut cadamus in eâ &c., id autem faciunt abscondendo, & multiplicando laqueos, eósque juxta viam constituendo. Porrò *abscondunt laqueum*, h. e. in actibus peccaminosis manifestant voluptatem, utilitatem, sed tegunt malitiam. Illud, *funes extendere* &c. significat, laqueos multiplicare, post laqueum
adul-

adulterii tendere laqueum homicidii &c. Illud *juxta iter* &c. significat in ipsa viâ, *quæ est lex Domini*, nulla esse offendicula; at si ceperis à viâ declinare, continuo laquei inveniuntur. Cautè ergo ambulandum est, nec pes extra viam legis Dei ponendus.

†. 7. *Dixi Domino, Deus meus es tu, exaudi Domine vocem deprecationis meæ.*

†. 8. *Domine, Domine virtus salutis meæ, obrumbraſti super caput meum in die belli.*

Adversùs tot pericula invocat opem Dei, sinè quâ nihil possumus facere. *Dixi Domino, Deus meus es tu, & per hoc ego sum populus tuus: Dominus meus es tu, servus tuus sum ego: quare ad te pertineo, ideo exaudi vocem deprecationis meæ.* Deinde, ut ostendat præsentia, & urgentia pericula, iterum clamat Domino: Confidenter te rogo, quia tu solus es robur, unde pendet salus mea, h. e. per quod ab inimicis salvus esse poterò. Jam aliàs protectionem tuam expertus sum: cùm enim ab hostibus graviter oppugnarer, tu fuisti mihi instar galeæ, & auxilio

caput meum texisti, ut mortem imminentem evaderem.

Ps. 9. Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori: cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.

Petit semper obumbrari ab æstu mali desiderii: nisi enim concupiscentia mala nos ceperit, frustra Dæmones tentant, frustra homines sæviunt. Domine, ne finas me *tradi à desiderio meo peccatori*, Dæmoni nempe, vel homini tentanti. Cupio, ut non derelinquas me sinè umbraculo gratiæ tuæ; quia inimici contra me meditati sunt insidias, & si fortè ceperint me, gloriabuntur, & exultabunt, quasi non me solùm, sed etiam te superaverint.

Ps. 10. Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos.

Prædicat futuras impiorum pœnas. Summa insidiarum, quibus impii quasi per vias distortas circuibant, ut justos perderent, in eosdem recidet. Tum idem repetit: afflictio, & miseria, quam labiis suis procurabant justis, in ipsos recidet, eosque opprimit.

Ps. 11.

¶. 11. *Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent.*

Pergit explicare pœnas impiorum. Illud, *carbones ignis*, significat acerrima supplicia; illud, *Cadent*, significat, ea supplicia ab alto descendere, nempe à judicio Dei Judicis supremi. In *ignem dejicies eos*, h. e. à copiâ carbonum super eos cadentium obruentur, & oppressi miseriis, ita jacebunt, ut se attollere, surgere, & subsistere non possint.

¶. 12. *Vir linguosus non dirigetur in terra, virum injustum mala capient in interitu.*

Ad pœnas æternas jam addit pœnas hujus vitæ. Vir promptus ad loquendum, mendax, adulator, detractor, calumniator, rixosus non prosperabitur in terrâ: tales enim odio passim habentur & à bonis, & à malis. Imò mala, quæ talem linguosum, & ideo injustum capient, non erunt ad præmium patientiæ, ut justis esse solent, sed ad interitum sempiternum.

¶. 13. *Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum.*

*v. 14. Veruntamen iusti confitebuntur
nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu
tuo.*

Concludit, certam esse liberationem,
& felicitatem iustorum, ut etiam suppli-
cia, & miseriam impiorum. Cognovi,
certo scio tum ab experimento proprio,
tum ab exemplis majorum, tum ab ipsâ
Dei justitiâ, & promissis, quod Dominus
justissimè judicabit causas pauperum
suorum, & vindicabit illos, puniens
digno supplicio persecutores eorum.
Ipsi autem iusti, non sibi tribuentes in-
nocentiam, sed gloriam dantes gratiæ
Dei, laudabunt Dominum in æternum,
videntes facie ad faciem, & fruentes vi-
sione ejus.

PSALMUS CXL.

Titulus: *Psalmus David.*

*Argumentum idem est, quod in Psal-
mo superiore, scil. ardens oratio ad Deum.*

*v. 1. Domine clamavi ad te, exaudi
me, intende voci meæ, cum clamavero ad te.*

Verba sunt corporis Christi, seu cœ-
rûs fidelium, inter hostes constituti.

Magna